



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXVIII. De Sacrificio Missæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

præcepto. Azor. lib. 8. quæst. 8. Jordan, d. lib. 3. tit. 3. num. 81.

97. *Quer.* An Episcopus possit licentiam concedere asservandi Eucharistiam in Ecclesiis non Parochialibus? *Resp.* Affirmativè ex iusta, & honesta causa sibi bene visa. Jord, lib. 7. tit. 11. num. 17.

CAPUT CXVIII.

De Sacrificio Missæ.

Hucusque actum est de Sacrosancta Eucharistia, prout Sacramentum est, nunc de ea est agendum, quatenus est Hostia, & Sacrificium, nempe Res, quam Deo in Sacrificium offerimus.

1. *Quer.* Quid sit Sacrificium in genere? *Resp.* Sacrificium est Oblatio rei cuiuspiam sensibilis à ministro legitimo cum destructione quadam, seu immutatione facta Deo, ad protestandum supremum ejus dominium in omnia, & promptitudinem destruendi nos ipsos, si id ad ejus cultum conferret. Coton, lib. 2. Controv. 5. cap. 1. num. 1. & 2. Ego ipse de Sacrificio Missæ Decis. 4.

2. *Quer.* An omnia, quæ dicuntur, & fiunt in Missa, sint necessaria ad Sacrificium? *Resp.* Negativè; quia aliqua pertinent ad substantiam Sacrificii; at alia ad decentiam, & ornatum ejus. Coton, ibid. num. 3. Et ego ubi supra Decis. 3.

3. *Quer.* Quæ sint in Missa de substantia Sacrificii; & in qua Missæ actione consistat essentialis ratio Sacrificii? *Resp.* Alios dixisse, quod essentialia Sacrificii Missæ consistat in Oblatione; alios in Consecratione, & alios in Sumptione; sed verior opinio est, essentialiam Sacrificii de facto constitutam esse à Christo Domino in omnibus his actionibus simul. Card. de Lugo De Eucharist. disp. 19. num. 64. Diana part. 10. tract. 12. resol. 27. Coton, ubi supra num. 4. Mæx decisiones de Sacrificio Missæ Decis. 31.

4. *Quer.* Quot species Sacrificiorum fuerint in lege veteri? *Resp.* Tres, nempe Holocaustum pro Dei honore, & in eo tota Victimæ cremabatur. Expiatorium pro peccato, cujus Victimæ pars una cremabatur: altera à Sacerdote manducabatur, & Pacificum propter benesicia vel accepta, vel accipienda; & in hoc victimæ una pars cremabatur, unam manducabat Sacerdos, & alteram ipse offerens; & in locum horum trium Sacrificiorum successit Missa; in qua Corpus, & Sanguis Christi Domini offertur Sanctissimæ Triadi in Holocaustum, pro expiatione nostrarum culparum, & pro impetratione beneficiorum. S. Thom. 3. par. quæst. 22. art. 1. & 2. Coton, ubi ante num. 4. 5. & seqq. Vide me ipsum De Sacrificio Missæ Decis. 14.

5. *Quer.* An sit necessarium ad rationem Sacrificii consecrare prius hostiam ante Calicem, & deinde ipsum Calicem? *Resp.* Affirmare Suarez apud Dianam par. 10. tract. 12. resol. 13. Sed alios magis communiter negare, quia etiam si prius consecratur Calix, quam hostia, substantia Sacrificii salvatur, quæ in separatione sanguinis à corpore subsistit; ideo,

si quis ex malitia consecrasset prius Calicem, vel comprehenderet Hostiam consecratam non esse materiam aptam, non teneretur, nisi consecrare aliam Hostiam. Coton, ubi supra num. 8.

6. *Quer.* Quid agendum, si Sacerdos in Missa post utramque consecrationem cognosceret neque hostiam, neque vinum in Calice esse materiam aptam, & sic neutram fuisse verè consecratam? *Resp.* Tres dari responsiones. Prima est, quod si nondum sumpserat eas Sacerdos, iterum utramque materiam legitimam accipiat, & consecret. Secunda est, quod si jam eos sumpserat, & non sit amplius jejunus, nihil aliud agat, quia in nihilo factum est Sacrificium. Tertia est, quod in hoc casu, licet non jejunus, iterum consecret, & sumat materias aptas, ne adstantes privet expectatione Sacrificii; & hæc ultima responsio magis arridet. Coton, ubi supra num. 9.

7. *Quer.* Quid agendum foret, si post summptionem Sacri Corporis, Sacerdos deprehenderet, in Calice fuisse appositam solam aquam? *Resp.* Duas esse opiniones. Una est, quod deberet consecrare tantummodo Calicem incipiendo à simili modo. Diana par. 2. tract. 14. resol. 70. Altera, quod debeat consecrare etiam novam Hostiam cum Calice. S. Thom. 3. part. qu. 83. art. 6. ad 4. incipiendo scilicet à *Qui pridie*. Utramque opinionem admittit Rubrica Missalis par. 3. tit. 4. num. 4. & 5. Sed & illud est sciendum, quod si suppleri non posset defectibus hujusmodi absque magna perturbatione Sacerdotis, commotione, aut scandalo populi, posset Missam perficere absque nova consecratione, & hoc sine peccato. Hurtad. de Sacrific. Missæ disp. 4. diff. 13.

8. *Quer.* An eadem Hostia omnino debeat sumi, & ostendi populo, quæ in ea Missa consecrata fuit? *Resp.* Affirmativè, quia ostensio, & sumptio unius, & ejusdem Hostiæ spectat ad idem Sacrificium; ideo non poterit Sacerdos sumere Eucharistiam existentem in Pyxide, & ibi reponere Hostiam, cum qua Missam celebrat, etiam si aliam non haberet reservandam pro Oratione quadraginta horarum; Vel si celebraturus non haberet nisi parvam particulam, non posset illam tantum consecrare; & ostendere in elevatione aliam Hostiam grandem, altera die præconsecratam, etiam si cum ea elevaret ipsam parvam particulam, quia duas Hostias tunc elevaret. Sic præpositus, Card. de Lugo, Marchantius, & alii, quos citat, & sequitur Cotonius de Controv. 5. cap. 1. num. 13.

9. *Quer.* Quid agendum, si Sacrificio nondum completo, moriatur Sacerdos? *Resp.* In Rubricis Missalis præcipi, quod: *Missæ per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desit, & in casu necessitatis etiam à non jejunis.* Quod est intelligendum, si jam facta fuerit consecratio Hostiæ. Rubric. Miss. cap. 10. num. 3.

10. *Quer.* An alius Sacerdos ad id teneatur sub mortali? & quid juris, si non superveniat ibi, nisi post considerabilem temporis dilationem? *Resp.* Videri rationi magis consonum, quod dicta obligatio non incumbat sub pena peccati, sed ex convenientia, & consilio juxta Textum in cap. Nihil, 7. quæst. 11.

Quò verò ad dilationem temporis, non sunt concordēs Doctores; sed ex eorum dictis colligitur, supplendum esse à Sacerdote, qui su perveniat, antequam una hora non excele- rit ab interrupto Sacrificio. DD. apud Dian. par. 10. tract. 11. resol. 4. & Cotonius ubi supra num. 15. & 16.

11. *Quer.* Si Sacerdos moriatur post sum- prionem Hostiæ, quid agendum circa Sangui- nem? *Resp.* Tres esse opiniones. Una est, quòd alius Sacerdos illumumat, & Missam perficiat. Altera, quòd reponatur, & in alia Missa sumatur. Tertia, quòd nova Hostia consecratur, & unà cum sanguine ab eodem Sacerdote sumatur. Ex his opinionibus pri- ma amplectenda est, quia licet sumptio non sit de essentia Sacrificii, tamen spectat ad il- lius consummationem. Diana part. 10. tract. 12. resol. 15. Coton. ibid. num. 18. & 19. Ubi advertit, quòd si Sacerdos moreretur post consecratam Hostiam tantum, non esset alia de novo consecranda; sed proseguendum foret Sacrificium cum sola Sanguinis conse- cratione.

12. *Quer.* Quid si dubitetur, An Sacerdos consecraverit Hostiam, vel non? *Resp.* Alios DD. tenere, quòd nova Hostia sit consecran- da; alios, quòd in consecratione Calicis sit procedendum. Ego dicerem, quòd illam Hostiam sub conditione sit consecranda; ne fortè, si non fuisset consecrata, Sacrificium remaneret imperfectum. Coton. ibid. num. 20.

13. *Quer.* Quotuplex, & quantus sit valor, & fructus Sacrificii Missæ? *Resp.* Triplicem esse. Primus est meritum, quòd acquiritur à Sacerdote, & ab aliis actu cooperantibus ex condigno, si sint in gratia. Secundus est impetratio bonorum tam spiritualium, quam temporalium. Tertius est expiatio pœna- rum ex peccatis debitaram, ut definitum est in Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. & can. 3. Quæ expiatio à viatoribus applicari potest a- nimabus etiam in Purgatorio existentibus. dict. Concil. Trident. sess. 25. in Decret. de Pur- gat. Coton. d. cap. 2. num. 21. 22. & 23. qui num. 25. notat, Missæ Sacrificium valere ad merendum, ad impetrandum, & ad satisfac- iendum. Vide, quæ dixi de Sacrific. Missæ d. De- cis. 14. & Decis. 33. 34. & 35.

14. *Quer.* An valor Sacrificii sit finitus, vel infinitus? *Resp.* Theologos super hoc quæsto plura subtiliter disputare. Conclusio ex eorum dictis est, respectu ipsius Sacrificii valorem esse infinitum; sed respectu eorum, quibus applicatur, esse finitum; quia sic con- gruebat ad hoc, ut fideles allicerentur ad Sa- cra Myteria frequentanda; & ex desiderio multiplicandi sibi fructum, frequenter reco- lerent memoriam Passionis Domini. Card. de Lugo de Euchar. d. disp. 19. num. 244. Ego ipse dict. Decis. 33. de Sacrific. Missæ.

15. *Quer.* An Sacrificium Missæ profit Ca- techumenis, seu aliis non baptizatis? *Resp.* Prodesse quo ad impetrationem; ut scilicet eis impetretur gratia veniendi ad fidem, & devotè suscipiendi baptismum; secus autem quo ad satisfactionem, quia non sunt capaces Sacramentorum, cum existant extra Ecclesiam. Vasquez. disp. 227. cap. 3. & 4. Coton. ubi an- tea num. 27. 28. & 29.

16. *Quer.* Quid dicendum de fructu Sa- crificii, si Sacerdos nemini illum applicet; vel si is, cui applicat, non indigeat? Veluti si anima illa liberata sit ex purgatorio? *Resp.* Theologos plura dicere de hoc. Ceterum duæ sunt considerabiles opiniones. Una S. Thomæ in 4. d. 45. qu. 3. ad 2. fructum illius Missæ distribui animabus defunctorum magis indigentibus. Alteri Suarezii, quòd fructus ille remaneat in Ecclesiæ Thesaurò. Coton. pluribus citatis d. cap. 2. num. 33. 34. 35. & 36.

17. *Quer.* An Sacerdotes, dum ordinantur, possint applicare fructum Sacrificii, quòd conferunt cum Episcopo? *Resp.* Non esse con- cordes in opinione Theologos, quorum alii negant, alii affirmant, & ipsis affirmantibus videntur adhærere graviores, quia licet unum tantum sit illud Sacrificium, singuli tamen concurrunt ad illud, ac si unus solus offerret. Coton. ibid. num. 38. & de hoc videatur mea Decis. 16. De Eucharistia.

18. *Quer.* An utilius sit, applicare plures Missas simul, & statim pro aliquo defuncto; vel eas successivis temporibus disponere? *Resp.* Melius esse simul, & statim plures Mis- sas dicere, quia celerius liberatur anima re- spectu satisfactionis ex Sacrificiis provenien- tis. Porro ex Anniversariis, & aliis pro tem- pore Missis celebrandis resultat Dei cultus perpetuus; cuius intuitu emanat fructus ex opere operantis, qui statim animæ in auxili- um confertur. Diana part. 9. tract. 2. res. 27.

19. *Quer.* An expediat viventibus, ut Mis- sas pro se applicent ante mortem? *Resp.* Af- firmativè, magis quam post mortem; quia, ut ait S. Gregor, beatus est, liberum exire, quàm post vincula libertatem querere, & ul- terius, quia evitatur periculum negligentæ hæredum; ac etiam, quia habetur fructus ex opere operantis. Diana part. 11. tract. 6. resol. 40. Coton. ubi supra num. 41. 42.

20. *Quer.* An licitum sit viventi, ut pro se faciat celebrare Missas de Requiem? *Resp.* Multos affirmare non solum ob satisfactio- nem ex Sacrificio etiam de Requiem relutan- tem; sed etiam propter fructum ex mortis memoria redolentem, sicque ajunt praticari in Lotharingia, & in Hispania. Diana part. 9. tract. 2. resol. 18. Qui tamen ibi pluribus cita- tis DD. non approbat dictum morem, quasi quædam superstitio ex eo redoleat, & sit con- tra ordinem Ecclesiæ, quæ disposuit Missas pro vivis tum de Sanctis, tum ob remissio- nem peccatorum; illas verò de Requiem or- dinavit pro defunctis. Coton. ubi supra num. 43. Missas de Requiem sibi adstanti celebra- re fecisse Carolum V. Imperatorem ante ejus obitum, testatur P. Anton. Foresti in Mappa- mundo Histor. tom. 2. Anno 1556. Ego de Sacrific. Missæ Decis. 36. à num. 35.

21. *Quer.* In quot partes dividatur fructus Sacrificii? *Resp.* In tres partes, quia unus fru- ctus est specialissimus ipsius offerentis, & o- rantis. Alter est generalissimus competens toti Ecclesiæ; & totius est medius, competens illi, cui ab offerente specialiter applicatur. Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 16. Co- ton. ubi ante num. 44. Ego ipse De Sacrific. Missæ Decis. 33.

22. *Quer.*

22. *Quer.* An toti Ecclesiæ fructus competens ex quacunque Missa sit fructus impetrationis, vel etiam satisfactionis? *Resp.* Plures DD. tenere, quod sit fructus tam impetrationis, quam satisfactionis, ut scribit Diana *part. 11. tract. 6. resol. 40.* At Scotum docere, quod in sola impetratione talis fructus consistat, notat Coton, qui Scoto adhæret *dist. cap. 2. num. 45.* cum Card. de Lugo *de Eucharist. disp. 19. sect. 9.*

23. *Quer.* An simplex Sacerdos teneatur sub peccato frequenter celebrare? *Resp.* Negativè, cessante contemptu, & scandalo. DD. apud Dian. *part. 2. tract. 14. res. 19.* Ubi, quod satis erit; si ter vel quater in anno celebret. Coton. *ubi supra num. 50.* qui tamen num. 51. subdit, quod qui sic raro celebraret, difficile evitaret scandalum, nam indicium esset vitæ corruptissimæ ex doctrina Cardinalis de Lugo *de Euchar. disp. 20. num. 13.* Ego *de Sacrif. Missæ Decis. 34. num. 10.*

24. *Quer.* An quilibet Sacerdos teneatur in die Natalis Domini tres Missas celebrare? *Resp.* Negativè, neque si sit Parochus, quia sufficit, si unam ex tribus celebret pro sui libito. Coton. *alios citans d. cap. 2. num. 53.* quamvis Gavantus doceat, esse dicendam vel primam, vel potius tertiam, cujus oratio concordat cum officio. in *Rubr. Missal. part. 4. tract. 2. tit. 3.* quod ego scripsi in *decis. de Eucharistia decis. 13.*

25. *Quer.* An Missa celebrari possit à quocunque Sacerdote feria quinta, sexta, & Sabbato majoris Hebdomadæ? *Resp.* Affirmativè, quoad Feriam quintam; Negativè, quoad Feriam sextam per Text. in *cap. Sabbato de consecrat. dist. 3.* Quo verò ad Sabbatum negat Valquez *disp. 223. cap. 2.* Affirmat Diana, & alii ab eo allegati *part. 4. tract. 4. resol. 237.* & *part. 11. tract. 8. resol. 66.* Coton. cum aliis distinguit, ut feria quinta quilibet possit celebrare ante Missam solemnem; in Sabbato post solemnem Missam celebratam, nisi forte celebrandum foret in sacellis privatis, ubi solemnis Missa non expectatur. Et ego dixi *de Eucharistia decis. 15. num. 10.*

26. *Quer.* An liceat celebrare pluries in eadem die? *Resp.* Negativè, & licet aliqui casus excipiantur à Doctoribus, quos ponit Diana *part. 2. tract. 14. resol. 56.* ipsi tamen non sunt amplius in usu, præter tres Missas in die Natalis Domini, vel ubi esset supplendum Sacrificium, si celebrans eo non completo moreretur, ut supra ex Rubrica Missalis monstratum est. Coton. *ibid. num. 57. 58.* Idè Patavii, cum ego Procuratoris fisci officium in Episcopatu agerem, Presbyterum exterum, qui bis in die celebraverat ad duplicem stipem lucrandam, ad triremes condemnari obtinui juxta doctrinam Genuen. in *Prax cap. 79.* Bellet. *Disquisit. clerical. part. 2. §. 28. num. 1.* & Menochii *de Arbitr. Judic. casu 407.*

27. *Quer.* An saltem Missa incepta reafsumi liceat ab introitu ob adventum magni Principis Laici, vel Ecclesiastici? *Resp.* Quod licet multi affirmant, si nondum ad consecrationem Sacerdos pervenerit. Diana *part. 10. tract. 12. res. 11.* Tamen Negativa opinio

communiter recepta est etiam ab eodem Dian. *part. 11. tract. 5. resol. 4.* Imò à S. Carolo id prohibitum fuit, ut advertit Tamburin. *de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 7. §. 8. num. 2.* Nath irreverentia gravis est, interrompere actionem tam magnam; nec urgeri potest ratio adimplendi præceptum in die festo; quia si alius non sit Sacerdos, non tenetur, qui ad principium ipsius Missæ non accessit. aliam audire. Coton. *ubi supra num. 61.*

28. *Quer.* Qua hora Missa possit celebrari? *Resp.* Regulam esse, ut celebretur ab aurora usque ad meridiem; & ex iusta causa, puta itineris, per horam ante Auroram, & post meridiem. Sylvius in 3. p. q. 83. art. 2. De la Crux *tract. 10. §. 3. corol. 2.* cum allegatis à Cotonio *ubi supra num. 64. 65. 66. & 69. 70. 71. & 72.* ubi excipit duos casus, nempe in Missis Nativitatis Domini, quæ statim post mediam noctem possunt omnes dici; vel si dandum esset Viaticum moribundo; tunc enim statim post mediam noctem, & usque ad Vesperam posset Sacerdos jejunus celebrare. Ultra duos casus extat Privilegium, quo fruuntur Episcopi, & Cardinales, ut magis tempestivè, aut tardius Missam habere possint, id est, per duas horas ante ortum Solis, & per alias duas horas post meridiem ex *cap. fin. de privil. in 6. Jordan. rom. 1. pag. 291. num. 88.* & Coton. *ibid. num. 74. & 75.* Porro post primam Missam in media nocte Natalis Domini, non posse statim celebrari alias duas, rationibus, & Decretis S. Congr. ego docui *de Euchar. decis. 13. à num. 15. & seqq.* quam legere studiosus juvabit; prout etiam meas Decisiones *de Sacrificio Missæ decis. 39.* in qua latè de hoc Quæsito circa horam celebrandi.

29. *Quer.* An ante Missam Sacerdos debeat recitare horas matutinas? *Resp.* Doctores antiquos id affirmasse sub mortali, ea ratione, quia sic mandatur in Rubrica Missalis. Porro moderni negant, dicentes, Rubricam non esse præceptivam in hac re, sed hortatoriam; non defunt tamen ex modernis, quibus veniale videatur peccatum, celebrare Missam non recitatis matutino, & laudibus, saltem absque legitimo impedimento. Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 4. num. 5.* Coton. *num. 68.* Legat studiosus meam *Decisionem 50. de Sacrific. Missæ*, in qua probavi, esse mortale, legitima causa cessante.

30. *Quer.* In quo loco Missa possit celebrari? *Resp.* In loco sacro, seu benedicto, ad hunc effectum specialiter deputato; & idè peccaret mortaliter, qui etiam ex mera devotione in loco profano, quamvis decenti, celebraret. *cap. Sic ergo. cap. Nullus. cap. Sicut non alii. De Consecrat. dist. 1.* Et de hoc latissimè ego egi *de Sacrific. Missæ decis. 12. per totam.*

31. *Quer.* An simplex Sacerdos possit celebrare in Altari, in quo eo die celebravit Episcopus, sine ejus licentia? *Resp.* Negativè per *cap. In altari ult. de cons. dist. 2.* ut advertit Jordan. *lib. 4. tit. 1. num. 149.* Et licet Diana *part. 10. tract. 12. resol. 24.* cum ibi relatis dicat, id in defuetudinem abiisse; tamen, nisi de contraria consuetudine constet, canon prædictus servandus est; quamvis Cot. *ubi su-*

pra

184 Erotem. Eccles. Cap. CXVIII. De Sacrificio Missæ.

pra num. 79. intelligendum ait: de Episcopo celebrante in Pontificalibus.

32. *Quer.* An liceat celebrare in Navi? *Resp.* Negare antiquos Doctores; modernos verò affirmare, si mare sit tranquillum, & locus decens paretur. Porro non videtur altercandum, quia pro navigantibus ad Indias datur à Papa diploma speciale pro Missa celebranda; ut in historiis legitur nostrorum temporum, & antiquitus servatum referunt DD. apud Coton, d. lib. 2. Controv. 5. cap. 4. num. 80.

33. *Quer.* An Rubricæ, & Ritus in eis præscripti circa celebrationem Missarum, sint servandi, prout stant, & jacent, sub pœna peccati mortalis? *Resp.* Affirmativè, ob Bullam s. Pii V. positam in principio Missalis, nisi levitas transgressionis excuset. Porro ad cognoscendam levitatem, vel gravitatem transgressionis Doctores considerant vel commutationem, vel omissionem, vel additionem. Item distinguunt Rubricas ante celebrationem, in celebratione, & post celebrationem. Ante celebrationem grave esse, non confiteri mortalia, non lavare manus, non induere vestes sacras. Leve autem reputatur, secluso contemptu, non recitare preces, non osculari cruces in amictu, manipulo, & stola; non recitare orationes in indumentis sacris suscipiendis. In celebratione reputatur grave, stare cum voluntaria distractione, potissimum in Canone; addere, vel omittere aliquid in eodem Canone; Missas votivas dicere in diebus festis, seu Dominicis. Leve verò censetur, si quid parum extra canonem addatur, vel omittatur absque præsumptione, ut si relinquatur Præfatio propria illius festivitatis, vel Communicantes particulares ob defectum memorie. Coton, plurib. citatis à num. 81. & seqq. usque ad 96.

34. *Quer.* An sit mortale, si Sacerdos in Missa solemni non dicat submissa voce Epistolam, & Evangelium? *Resp.* Negativam sententiam tenere Navarrum, & Dianam part. 5. tract. 5. resol. 45. Sed contrarium esse verius, quia Missale præcipit, ut quod ab aliis cantatur, à Sacerdote legatur submisso; Card. de Lugo, quem citat, & sequitur Coton, ubi supra num. 97.

35. *Quer.* An culpa careat, qui purificationem sumit ex solo vino, vel ex sola aqua? *Resp.* Venialem culpam committere, qui sic facit, nam Rubrica præcipit, adhibendum esse vinum, & aquam. Coton, num. 106. & 107.

36. *Quer.* An fœmina possit inservire in Missa deficiente ministro? *Resp.* Negativè ex cap. 1. De Cohabit. Cler. & Mulier. ideo deficiente ministro, vel non est celebrandum, vel si necessitas communicandi infirmum morti proximum urgeat, posset Sacerdos solus celebrare, & sibi ipsi inservire. Diana part. 2. tract. 14. resol. 43. & 44. Coton, ubi ante num. 110. & 111. ubi tamen licitas dicit responsiones ad Missam, quas facerent mulieres à longè, & ut est in usu, Moniales à choro. Porro, Moniales non posse canere Epistolam in Missa solemni, respondisse Sacram Congregationem testatur Fagnan, in cap. Si quis Presbyter, num. 19. de Cler. excom. tom. 6. pag. 336. quamvis Patavii usus sit in contrarium,

37. *Quer.* An Sacerdos Missam novam celebrans, possit se ad populum vergere, & oblationes recipere? *Resp.* Affirmativè, dummodo Ecclesiam non circumeat, ex decreto S. Congr. Naldus V. Missa num. 19. Quod & in Parocho dante cum patina osculum pacis servandum est: qui propterea in Altaris gradu sistere debet, & ad summum se conferre ad medietatem Ecclesiæ, ubi mulieres manent sejunctæ à maribus. Fagnan, in cap. Pastoralis num. 40. & 41. De his, quæ fiunt à Prelat. tom. 4. pag. 267. & 268.

38. *Quer.* Cui sit applicandum Sacrificium, si nihil de hoc dixerit testator, qui bona reliquit pro capellania instituenda? *Resp.* Applicandum esse animæ ejusdem testatoris, & fundatoris. Barbof. de Jure Ecclesiast. Univ. lib. 3. cap. 5. num. 38. & Bordonus decis. 268. decis. 238. & decis. 331.

39. *Quer.* An Episcopus possit concedere, ut Missa celebretur in alio loco, quam in constituto à testatore? *Resp.* Affirmativè, si justa causa substat, & ad tempus non longum. Barbof. de Jure Ecclesiastico d. lib. 3. cap. 5. sub num. 36.

40. *Quer.* An in Collegiatis Missa solemnibus possit decantari sine Diacono, & Subdiacono, saltem diebus ferialibus? *Resp.* Negativè, ubi sufficiens numerus Clericorum existat, nam cum Diacono, & Subdiacono est quotidie decantanda. Jordan, lib. 4. tit. 1. num. 109. tom. 1. pag. 292. & 293.

41. *Quer.* An Sacerdos, qui eleemosynam accepit pro Missa celebranda, possit aliam stipem accipere pro applicando alteri fructu sacrificii proprio sui ipsius, saltem sic offerente stipem contentante? *Resp.* Negativè, & sic respondit s. Congr. Concilii die 25. Januarii 1659. condemnando Doctores contrarium scribentes: & sententiam s. Congregat. confirmavit Alexander VII. die 29. ejusdem mensis, mandando, eam ubique publicari, & servari. Fagnan, in cap. Fraternitatem num. 96. de Sepulch. tom. 4. pag. 374.

42. *Quer.* Si quis dederit eleemosynam pro Missæ fructu impetratorio, puta pro sanitate infirmo impetranda, an Sacerdos possit aliam eleemosynam accipere pro eadem Missa à petente fructum satisfactorium, puta pro pœnitente? *Resp.* Negativè, juxta sententiam pariter s. Congreg. sub die 13. Decembris 1659. referente Fagnan, ubi supra num. 97.

43. *Quer.* An Parochus, quo die tenetur Missam pro suo populo offerre, possit eleemosynam accipere ab aliquo particulari? *Resp.* Negativè, ut latè comprobatur idem Fagnan, in cit. cap. Fraternitatem à num. 93. & seqq. De Sepulch.

44. *Quer.* An Episcopus possit sibi Missam celebrare facere extra Ecclesiam? *Resp.* Affirmativè, quando ipse eam audire vult, dummodo paretur locus decens, & hoc quamvis esset extra suam Dioccesim, & non requisito Ordinario loci, Jordan, dict. lib. 4. tit. 1. num. 130. per Text. in cap. fin. de Privileg. in 6. ac etiam in locis interdicto suppositis. Idem Jord. num. 133. Excepta tamen Urbe Romæ, in qua sine Papæ licentia, in oratoriis privatis, seu extra publicas Ecclesias celebrare non

non licet. Navar. *conf. 1. de Privileg. Jord. ibid. num. 137. Quartus in Rubr. Missalis par. 3. tit. 10. num. 1. sect. 2. dub. 2. & ego de Eucharist. decis. 8. num. 19.*

45. *Quer.* An Episcopus indulgere possit, ut construatur Sacellum, seu Oratorium pro Missa celebranda in Palatiis Baronum, seu personarum publicarum exercentium jurisdictionem? *Resp.* Negative, quia ad hunc effectum censetur domus privata, ut ex sententia Sac. Congregationis notat Fagnan. *in cap. In his num. 16. de Privileg. & Diana part. 9. tract. 1. resol. 35.* Porro, in Serenissimo Dominio Veneto potest concedi Sacellum in quocumque Palatio Rectorum Civitatum, & Arcium, ut in eo Missa celebretur, ex generali concessione Apostolica, qui fruitur Respublica, teste Jordan. *dict. lib. 4. tit. 1. num. 158.* Ac etiam in domibus privatis Excellentissimorum Procuratorum Sancti Marci ex Indulto speciali, & perpetuo iisdem concessis à Papa Paulo V. de quo ego *de Sacrific. Missæ dict. decis. 12. num. 60.* ubi posui per extensum Privilegium prædictum.

46. *Quer.* An Episcopus concedere possit licentiam celebrandi Missam in Oratoriis habentibus ostium, vel prospectum è domo privata? *Resp.* Negative secundum Fagnan. *in d. cap. In his, num. 18. de Privileg.* Qui tamen videtur intelligendus, quando Oratorium non haberet Januam in via publica, quia, si eam in publica via haberet, posset dicta licentia celebrandi concedi ab Episcopo, quamvis aliud ostium privatum haberet pro majori commoditate Patronorum, ut notat Jord. *dict. lib. 4. tit. 1. num. 161. & ego plenè probavi de Eucharist. decis. 8.*

47. *Quer.* Quibus conditionibus debeat Episcopus concedere licentiam celebrandi in dictis Oratoriis? *Resp.* Ut diebus festis non celebretur in eis, nisi post Missam Parochialem; & non nisi unica Missa, nisi aliter videatur expedire ipsi Episcopo. Jord. *ut supra num. 162. & 163. lib. 4. tit. 1.*

48. *Quer.* An Missa celebrari possit in Oratorio Palatii Episcopalis, si Episcopus non sit præsens? *Resp.* Negative secundum Dianam *part. 4. tract. 14. resol. 15. & Magrium in Dictionario, verb. Oraculum, pag. 190.* dicentes, Privilegium Episcopi esse personale, non autem locale; quale est Cardinalium, in quorum Palatiis, etiam ipsis absentibus potest celebrari. Idem Diana *par. 6. tract. 8. resol. 40.* ubi legitur impressa eximia disputatio Eminentissimi Cardinalis Brancatii ad favorem Palatiorum Cardinalitiorum, in qua concludit, Capellanos Cardinales posse in dictis Oratoriis privatis celebrare ante Auroram, & post meridiem; pluresque Missas in die ibi haberi posse, etiam absente Cardinali; quibus si interveniant exteri, & qui de familia non sunt, nihilominus satisfaciunt præcepto de audiendo Sacro in die festo; ea ratione, quia, inquit, Cardinalis privilegium non est personale tantum, sed etiam locale. Porro in contrarium, quod scilicet prædicta locum habeant etiam in Oratoriis Palatiorum Episcopali, & in domibus, in quibus degunt Episcopi, sustinent Pelliz. *in Manual. Regular.*

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 173. Francisc. de Lugo de Sacrament. lib. 5. cap. 6. qu. 3. num. 25. & Valer. de Differ. utriusque Fori, verb. Missæ, diff. 2. Concordat has duas contrarias opiniones Quartus in Rubric. Missalis par. 3. tit. 10. num. 1. sect. 2. dub. 4. distinguendo, vel locus pro celebratione Missæ in domo Episcopi deputatus est permanentiter; & in hoc casu, etiam Episcopo absente, poterit ibi celebrari; vel locus celebrationis deputatur pro una, vel altera vice, & amovibiliter, & tunc in eo celebrari non poterit, nisi Episcopo præsentem. Et ita sentit etiam Tambur. *Opusc. de Sacrificio lib. 1. cap. 4. §. 2. num. 10. 11. & 12.* Et ego *de Eucharist. d. decis. 8. num. 20.*

49. *Quer.* Quid agendum à Parocho, si totus populus suæ Parochiæ non possit ob multitudinem intervenire in die festo ad ejus Missam? *Resp.* Erit cogendus, ut assumat alios Sacerdotes sibi coadjutores, qui celebrent, & in administratione Sacramentorum juvent, juxta Concil. Trident. *sess. 21. cap. 5. de Reform.* Jordan. *ubi supra num. 522.* & sic correctum est jus antiquum, quo concedebatur Parochis pluries in die celebrare ob penuriam Sacerdotum.

50. *Quer.* An sit Parochis permittendum, ut aliquando in die festo celebrent extra Parochiam, admonito prius populo; puta ob celebritatem alicujus Ecclesiæ vicinæ? *Resp.* Negative, & sunt omnino cogendi, ut provideant de Missa in eorum propria Ecclesia celebranda; quia populus jus habet, ut ibi celebretur singulis diebus festis; & contrarium facientes, magnum abusum committunt, quem Episcopi tolerare non debent. Sac. Congregatio apud Barbof. *De Officio Parocho cap. 11. num. 3. & Jord. ubi supra num. 523.*

51. *Quer.* An Missarum numerus restringi debeat in capellaniis, & aliis oneribus perpetuis, si aliquo anno accidat grando, vel siccitas? *Resp.* Negative, quia sterilitas unius anni temperatur cum abundantia annorum præcedentium, vel subsequenitium. Perez de Lara *De Capellan. & Annivers. lib. 1. cap. 15. num. 15. Jordan. ubi ante num. 595.*

52. *Quer.* An Missam celebrare possint Sacerdotes advenæ inconsulto Episcopo loci, saltem in Ecclesiis Regularium? *Resp.* Negative, nam etiam Regularibus potest Episcopus id prohibere, & inobedientes punire. Sac. Congregatio die 11. Augusti 1649. quam refert Nicol. *in Lucubr. Canonicis lib. 3. tit. 31. num. 15. Barbof. Decis. Apostolicar. collect. 476. num. 17. & 18. & collect. 661. num. 17. & 18.* Ego ipsemet *De Euchar. decis. 60.*

53. *Quer.* An expediat magis habere multos Sacerdotes celebrantes, quamvis non exemplaris vitæ; aut paucos, & honestis moribus imbutos? *Resp.* Expedire, ut potius pauci habeantur, qui sint exemplaris vitæ; quia sanctitate morum, non autem Sacrificiorum multitudine placatur Deus, ut ait Gloss. *in cap. Unico, in Verb. Nimiam. De Religiosis domibus in 6. & refert Lothar. De Re benef. lib. primo qu. 28. num. 63.* Est tamen attendenda Diocesis amplitudo, & necessitas Ministrorum.

54. *Quer.* Ad Missarum onera perpetua
A a reci-

recipienda quæ solemnitates requirantur? *Resp.* Quòd Episcopus licentiam in scriptis concedat, si relicta sint alicui Ecclesiæ sibi subiectæ; vel Superiores Religionum annuant, si Regularibus relicta sint. Ita Urbanus Octavus in *Decretis de Celebrat. Miss.* de quibus apud Gavant, post *Manuale Episcoporum*, & apud Jordan. d. lib. 4. tit. 1. num. 515. ubi sunt pœnæ inflictæ contra inobedientes.

55. *Quer.* An peccet Sacerdos, qui Missa completa non recitat hymnum trium puorum, vel non sistit in gratiarum actionem? *Resp.* Secluso contemptu non peccare, saltem mortaliter; quia Rubrica in hoc non est præceptiva, sed consilium dat; & certè valde decet Sacerdotes orare, & in gratiarum actione pro temporis opportunitate se continere. *Quartus part. 2. tit. 12. dub. 3.*

56. *Quer.* An Sacerdos post Missam teneatur lavare manus sub pœna peccati? *Resp.* Negativè, quamvis non desint, qui id affirmant. *Diana par. 10. tract. 12. resol. 19.* Quibus non adheret *Quartus tit. 12. dub. 4.*

57. *Quer.* An peccet, qui post Missam, vel communionem statim ad prandium accedit, vel alias comedit, vel bibit? *Resp.* Negativè, secluso scandalo, vel contemptu; quia licet contrarium videatur statutum in *cap. Tribus gradibus. De Consecrat. dist. 2.* tamen canon ille in defuetudinem abiit. *D. Thom. 3. part. qu. 80. art. 6.* Quarto ubi ante dict. tit. 12. dub. 5.

ubi tamen monet, ob reverentiam Sacramenti abstinendum esse per aliquod spatium à cibo, prout etiam à quacunque prophana occupatione, & de hoc videnda sunt, quæ ego scripsi *De Eucharistia decis. 25.*

58. *Quer.* Quamdiu species Sacramentales censeantur durare in stomacho post communionem, & post Missam? *Resp.* Cardinalem de Lugo ex consilio Medicorum sentire, ut particula, qua laici communicantur, consummetur à stomacho, etiam mediocris calor, in sexagesima horæ parte; & idcirco in Sacerdote celebrante species consecratas esse in stomacho consumptas post semiquadrantem horæ; & ad summum in horæ quadrante. Alios verò docere, non posse in hoc tempus certum præfigi; sed attendendum esse majus, vel minus robur stomachi, & complexionis; ideoque neque minus medietatis horæ, neque majus tempus unius horæ requiri ad consummationem, nisi ageretur de stomacho debilissimo. *Diana part. 5. tract. 3. resol. 55.* *Quartus dict. part. 2. tit. 12. dub. 6.* ubi infert, quòd si vomitus accidat post horam à communionem, non esse trepidandum circa species Sacramentales, quia censentur omnino consumptæ, ac etiam multò ante horam, si stomachi vires sint satis robustæ, ut latè probavi *De Eucharistia dict. decis. 25.* ubi latè de hoc necessario quæsito.

59. *Quer.* Quid agendum, si quis statim post communionem moneretur, species Sacramentales sumptas esse venenatas? *Resp.* Posse statim provocare vomitum, neque id esset in offensionem Sacramenti; quia expedit, ne calix vitæ vertatur in mortem. *S. Thom. 3. parte q. 83. art. 6. ad 3.* & Tambur. quos citat, & sequitur *Quartus ubi supra dict. dub. 6. in fine.*

60. *Quer.* Quid agendum de vomitu occurrente post Communionem? *Resp.* Si species Sacramentales appareant, & iterum sumi possint absque nausea, sumendæ sunt vel ab eodem, vel ab altero, qui sit jejunos. Si absque nausea sumi non possint, reponantur in loco sacro, & ibi custodiantur, donec fuerint corruptæ; quia tunc projicientur in Sacramentum. Si verò species non appareant, vomitus comburatur, & cineres in Sacramentum mittantur, Rubrica Missalis, & ibi *Quartus par. 3. tit. 10. n. 14.*

61. *Quer.* An si celebrans post sumptionem statim evomat Sacramentum, & illud absque nausea reassumere non possit, debeat iterum consecrare, & iterum sumere? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed negativam esse tenendam, quia perfectio Sacrificii non stat in retentione specierum, sed in earum sumptione. *Quartus ubi supra dub. 3.*

CAPUT CXIX.

De Sacramento Pœnitentiæ, & Contritione.

1. *Quer.* Quot sint partes Sacramenti Pœnitentiæ? *Resp.* Sunt tres, Contritio, Confessio, & Satisfactio. *Concil. Trident. sess. 14. cap. 3.*

2. *Quer.* Quid sit contritio? *Resp.* Est dolor perfectus, voluntariè assumptus propter Deum pro peccatis, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. *S. Thom. 3. part. in addit. qu. 9. art. 1.*

3. *Quer.* An necessariò talis dolor debeat confessionem præcedere? *Resp.* Sufficere, si talis dolor eliciatur ante absolutionem, & sic vel in expressionem peccatorum, vel statim illis expositis. *S. Thom. 3. part. qu. 72. art. 4. P. Candid. Disquis. 31. art. 1.*

4. *Quer.* Quotuplex sit Contritio? *Resp.* Est duplex, una perfecta, quæ habet motivum supernaturale ob offensam Dei, quatenus peccatum est offensa Dei, & hæc verè est contritio, & habet vim justificandi sine Sacramento Confessionis in re, quando deficit commoditas confitendi, & habetur in Voto, ac in desiderio. Altera est contritio imperfecta, quæ vocatur Attritio, & suum motivum sumit à metu pœnarum, vel gehennæ, vel turpitudinis peccati, vel amissionis bonorum, & hæc licet ex se sola non sufficiat pro remissione peccatorum, sufficit cum Sacramento. *Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. S. Thom. 3. part. in add. qu. 1. art. 1. & 3. part. qu. 80. art. 4.*

5. *Quer.* An Attritio, ut sit sufficiens ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, debeat includere efficacem voluntatem non peccandi de cætero? *Resp.* Affirmativè. *Concil. Trident. sess. 14. cap. 4.* Unde qui dolet de peccato ob timorem pœnæ, sed cum tali affectu, quòd si pœna non esset, non præcaveret peccatum, non consequeretur remissionem. *P. Candidus ubi supra art. 2. num. 6.* Ego ipse in meis Decisionibus *de Pœnitentia Decis. 13. & Decis. 14.*

6. *Quer.* An sufficiat attritio, vel contritio unius, vel alterius peccati tantum? *Resp.* Cum